

ri, unde liquet, in Ecclesia quadam hanc Narrationem in B. *Gregorii* Festo ad Matutinum quondam lectam fuisse, aut fortassis etiam nunc legi. Operis jam initium, ut in Editis: *Reuerentissimo — Dudum te frater beatissime &c.* Divisio Librorum XXXV. exacta est; Capitum vero loco breviores Articuli literis majusculis miniatis distinguuntur. Quae tractantur, indicantur in margine Lemmatibus; haec autem post Libri XXVI. medium disparent. Lectio valde correctata est, vixque notari merentur, quae percurrendo praeviam ad *Leandrum* Epistolam observavi: *tutissimi litoris pro tuti, quam habendo pro quia, internis ministeriis rectius pro mysteriis, licentius incubarem pro excubarem, iuncti caritate pro vincti, lassatusque occubui pro succubui &c.* Ad calcem litera quadrata miniata: *Explicit Magnus Liber De Moraliibus Beati Job.* Auctoris nomen toto Opere, si tardius scriptam *Narrationem* illam demas, non comparet.

CCCLXX.

R. 58 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. olim praeter Indices praemissos 284. nunc una cum iis 270. f. per duas columnas nitidissime, sed minutius exaratus, et coloribus distinctus Exemplum est *S. Gregorii Moraliuum in Job* omnino speciosum, quo magis indigneris infano Furcifero, qui pluribus in locis illud literarum deauratarum ergo mutilavit. Praemif-

sus est Index rerum notabilium. Hunc excipiunt *Librorum XXXV. Capita* aliter tamen distributa, quam in Edit. *Maur. Paris. 1705.* f. Succedit Relatio illa de inventis Libris *Moraliuum S. Gregorii*, quae etiam in dicta Edit. praesto est, nobis autem ita excisa, ut nihil aliud observari possit, quam a vulgata penitus diversam fuisse. Incipit enim: *Cindasuindus rex goth — —* Idem indicant et reliqua linearum, quae supersunt, initia. Truncata pariter est cum hac Relatione, quae illi cohaerebat, *Epistola ad Leandrum* usque ad illa verba: *discesserat. quo pacto hanc fieri solitariam exorat.* Atque ita deinceps plurium Librorum initia ob characteres auro coloribusque illustres imitem cultrum experta sunt. Ceterum omnia solertiae vestigia Codex exhibet; Numeri *Partium* et *foliorum* in fronte, *Capitum* in Lateribus paginarum adsunt a prima manu, quin et varietas lectionis, quae et si cum Editis plurimum conspiraret, conferri tamen olim meruisset Exemplar; mox enim in *Praefat.* f. ve C. I. pro: *Israeliticorum Judicum tempore fuisse signatur*, legit: *yfraelitarum regum tempora preihsse perhibetur*, quod Editoribus in nullo suorum Codicum occurrisse videtur. Ad calcem haec legas: *Hoc opus finitum est cum auxilio ihesu christi Anno ab incarnatione domini nostri ihesu christi. M. CC. XXXIII. IX. die exeunte mense marcii. tempore domini gregorii pape noni.* Qui anno sequente *Decretales* suas emisit.

CCCLXXI.